DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TETANO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MILLER,

Scotus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

VIRO CLARO,

ANDREAE KELTY, M. D.

COLL. REG. MEDIC. EDIN. SOC.

NECNON

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE SOCIO,

ARTEM MEDICAM

PERTHAE,

DIU ET FELICISSIME EXERCENTI,

HASCE PAGINAS,

QUALESCUNQUE SINT,

CONSECRAT

DISCIPULUS GRATUS

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TETANO.

Nullum malum cui patet genus humanum gravius Tetano incumbit, sive ipsam horribilem morbi faciem, seu dolores qui acerbissimè aegrum exerceant, spectemus.

Nulla orbis terrarum pars est, in quâ hoc malum non interdum occurrit; sed frequentissimè graviusque in regionibus calidissimis, et calidissimâ anni tempestate invadit; neque ulli aetati, sexui, aut temperamento parcit; mediam autem aetatem, saepius quam impuberem, aut senilem,

et

et mares saepius quam faeminas, robustos quam debiles, incessere fertur.

Neque homo solus Tetano expositus, sed quidam animalium inferiorum etiam ab eo incessuntur.

Graeci morbi de quo agitur, quinque species nominaverunt: videlicet, Tetanum quando flexores et extensores musculi aequè affecti spasmis sunt: Emprosthotonon quando corpus prorsum flectitur; Opisthotonon cum corpus retrorsum, Pleurosthotonon ubi ad alterum latus trahitur; et Trismum quando musculi qui inferiorem maxillam claudunt affecti sunt. Tetanus, Opisthotonos, et Trismus, species sunt quae frequentissimè apparent; plerumque idem modus curandi, in omnibus adhibitus est.

Tetanus, celeberrimo CULLENO "Plurium musculorum rigiditas spastica" definitur.

SIGNA.

SIGNA.

Modus et tempus impetûs secundum causam, et etiam ab eâdem causâ in diversis hominibus variant, Modo repentè, et magno violentiâ incessit; modo tardè progreditur, totius corporis languore, dolore, rigiditate in cervicis dorso, linguae radice, et inferiore maxillâ; tunc motus capitis impeditus fit; inferior maxilla constanter immota, dolore ad inferiorem partem sterni, vergente ad dorsum. Nunc musculi spinae affecti fiunt, et totum corpus retrahitur. Musculi abdominis cito contracti fiunt, et duri similes tabulae sentiuntur, artus rigidè extensi sunt. Distortio faciei maximum dolorem exprimit. Oculi saepe protrusi et fixi sunt. Spasmo crescente, omnes musculi motûs voluntarii affecti sunt, et aeger est inhabilis ad loquendum, aut ad hauriendum: Saepe lingua ex ore spasmodice protruditur, et contractionibus maxillae subitis, severe vulneratur.

Alvus

Alvus est plerumque adstricta; urina colore saepe rubicundior est, et diutius, ob fibrarum musculosarum quarum est vesicae os claudere spasmum, retinetur.

Calor corporis interdum augetur, sed raro febris est; pulsus saepe citus et durus, et respiratio plerumque difficilis, et irregularis est.

Remissio plerumque accidit, aut prolongiore, aut breviore tempore, et functiones restituuntur prope ut in salute. Cutis interdum roratur frigido sudore, et lenticuli miliarii interdum efflorescunt. Aut si tanta remissio non accidit, aeger non diu manet in statu super dicto, sed spasmo increscente, pulmones, cor, et arteriae, affecti sunt, et unus spasmus universalis aegro vitam adimit.

Exordio mali mens non turbatur, sed aeger minimum musculosum nisum pavet, qualis in loquendo, aut in hauriendo, ne per remissionem, paroxysmum renovaret, aut per eum paroxysmum, symptomata incenderet, et ita systema non sustinere

potest,

potest, ut non remedia optata capere possit, aut cibi appetitum explere, qui plerumque inter malum manet. Sed ut morbus aggreditur, et paroxysmi graviores fiunt, delirium supervenit. Sanguis e Tetanici vena missus non cogitur, neque pelliculam qualis inflammatione existente unquam ostendit. Aeger aut tarde convalescit, aut subito moritur.

CAUSAE.

De causis praedisponentibus, nihil certum cognoscitur, sed causae remotae aut excitantes, plerumque evidentissimae sunt, et aliae ex aliis valde differunt. Causae in tres sequentes ordines dividantur. *Primo,* Frigus corpori applicatum; *Secundo,* Cum nervi vulnerantur, puncturis, incisionibus

onibus, aut lacerationibus; *Tertio,* Vermes aliaque irritamenta corrodentia intestina.

Tetanus frequentissimè in tropicis regionibus accidit, tamen, in hac regione et maxime, aestate, aut autumno interdum apparet.

In tropicis regionibus, frigus corpori admotum est crebra causa Tetani. Si aliquis post multum laborem, aut post expositionem in sole dormit in humido cubili, aut sub divo nocturno, aut rore noctis; aut si perspiratio obstructa est ab ullâ causâ, saepe Tetano prehenditur. Enimvero, in quibusdam casibus, mutatio venti hoc malum producet. Etsi morbus progreditur rapidior, cum productus frigore quam vulnere, non est plerumque tam fatalis.

Secunda classis causarum numerosissima est; operae chirurgicae, velut cranii terebratio, amputatio, castratio, saepe Tetanum concitant. Omnia genera vulnerum, lacerationum, ustionum, et puncturarum, saepe hoc malum produxerunt.

Doctor

Doctor GREGORY in suis praelectionibus unum casum narrat, ubi levis ustio pulvere nitrato facta, illud causavit. Et RUSH notavit ubi extractio dentis causa fuit. LARRY mentionem fecit ubi morbus ab osse piscino gula inherente supervenerat. Et in multis casibus causa fuit aliqua externa injuria tam levissima ut ab aegro non observata sit omnino.

Irritatio ventriculi et intestinorum, maxime in regionibus calidis, saepe hoc malum producit. Causae irritationis, sunt vermes, acria ingesta, acidum in ventriculo, aut bilis vitiata, aut eorum conjunctio. Cum Tetanus accidit in infantibus per duas primas hebdomadas post partum, nominatur trismus nascentium, et plerumque producitur ab vulnere umbilici, aut meconio retento. Trismus nascentium dicitur esse, testante celeberrimo CULLENO, in Scotiae septentrionalis montibus.

Ad varias causas quae hoc malum producunt, auctores addiderunt, vehementes animi affectus, menstrua male respondentia, exinanitiones nimias,

exanthemata,

exanthemata, praesertim cum eruptio subito evanuit, partus difficiles cum locorum injuria, diarrhoeas et dysenterias incaute inhibitas, corruptum aërem valetudinariorum, purulentas accumulationes in capite, caries ossium cervicis, repulsam podagram, venena, &c. Et ultimo, Tetanus similis aliis nervosis malis oriatur a debilitate, aut irritatione, saepe ex ambobus conjunctis, praesertim in calidis regionibus.

DIAGNOSIS.

Facile est hoc malum distinguere ab omnibus aliis. Immotus status maxillae inferioris, rigiditas musculorum, et dolor ad ensiformem cartilaginem ad dorsum vergens, dum eodem tempore, cerebri munera nequaquam turbantur.

Ab Hydrophobiâ distinguitur per morbi historiam,

riam, et morsum animalis rabidi, doloris per vulnus sursum versus ad guttur jaculantis, cum strangulationis sensu, timore ac horrore aquae.

Epilepsiâ distinguitur a Tetano comatoso statu qui sequitur.

Hysteria, ut dicitur, Tetanum simulare potest; internoscitur, a sensu doloris vel plenitudinis prope umbilicum in sinistrâ parte paulatim sese diffundente, imaginemque globi sursum orientis, guttur que strangulantis, referente. Post haec aegra convulsa corruit, graviter suspirans, singultiens vehementer, mire exclamans. Pallida fere, atque sensu orbata sub accessione jacere videtur veluti anima defecerat. Post aliquod tempus, inter agitationem musculosam atque animi ut videtur defectum, morbus gradatim recedit, urina limpidissima interim profusa. Ægra quoque alternis vicibus ridet, lacrymatur, multumque aëris eructat. Spatium accessionis haud aliter quam aliae res supra dictae Tetanum dignoscunt.

PROGNOSIS.

In Tetano Prognosis plerumque haud felix est, et maxime si malum ab vulnere aut puncturâ potius quam frigore oritur.

Cum aegrum subito morbus invadit, et cito gravi modo progreditur, periculum est majus quam cum alias accidit. Observatum est si aeger quartum diem praetereat spem esse salutis redeuntis, et periculum omni die diminuit, ita ut mors raro post diem nonam accedat.



DISSECTIO CADAVERIS.

Incidendo corpora hominum qui mortui sunt de Tetano, parvae effusiones interdum repertae

sunt

sunt intra cranium; modo pharynx et oesophagus contrahuntur et membrana interna teguntur muco concreto. Stomachus repertus fuit multum inflammatus et intestini flatu distenti; sed hi aspectus non sunt regulares, et saepe omnino desunt; itaque praesenti tempore nihil de dissectione potest cognosci, aut de remedio, aut causâ hujus mali.



PROPHYLAXIS.

Etiamsi non possumus omnino hoc malum praevertere, tamen aliquid potest fieri ad illud avertendum; quando vulnus suppuravit, Tetanus raro accidit; cataplasma emollientia sunt necessaria, quae huic vulneris statui faveant; si vulneratus corpus plenum habeat, venaesectio sit necessaria. In quibusdam causis cinchona et in alteris hydrargyrus, praescripti fuerunt, uti systemam afficiant;

ficiant; et forsitan opium averteret Tetanum, irritationem sedando a vulnere ortam. In calidis regionibus alvi infantium aperti et regulares servari debent.

CURA.

Cum naturam, celeritatem, et fatalitatem exitûs Tetani consideramus, est evidens quod nullum tempus debet omitti in remediis utendo: Quamvis effectus generales sunt, tamen causa est aliqua localis irritatio interdum. Igitur remedia dividemus in localem et generalem.

REMEDIUM

REMEDIUM LOCALE.

Si nullum magnum vulnus videatur, primo diligenter superficiem corporis perpendimus, particulatim extremitates, ad explorandum si ullum vulnus observationem aegri evadit. Si vulnus observatur, est necessarium illud examinare accurate, et ullum extraneum removere; linteum immersum in olio terebinthino vulneri applicatum sit, et dein cataplasma emoliens. Si causa suspecta sit vulnus conglutinatum, laudatur profundam incisionem supra illud facere, et ab eâ, omnem communicationem incidere inter nervum vulneratum et sensorium. Si ulli nervi videantur esse semi-incisi debemus incisionem conficere. Quidam auctores ut Larry amputationem membri supra vulnus recommendaverunt, et haec fuit prospera ubi alia cetera remedia defecerunt.

GENERALE REMEDIUM.

Causae Tetani variae et dissimiles ab invicem sunt, et etiam sunt remedia quibus in curatione utimur. Opium omnium antispasmodicum remedium certissimum et potentissimum est; et in Tetano efficacissimum remedium repertum est.

Balneum frigidum est alterum remedium quod saepe utilissimum in hoc malo, et praesertim quum opio utimur eodem tempore, repertum est. Pro hoc balneo aqua amnis aut maris utenda, sed ultima preferenda est. Aeger collocandus in idonea parte conclavis, aqua frigida corpori affundenda est, donec spasmi sese remiserint; tunc necessarium est eum siccare et in cubili locare; portio opii ab decem granis ad scrupulum administratur. Si spasmus cito redeat, est necessarium iterum effusione uti, et portionem opii iterare; ab his remissio longior fiet, et spasmi minus graves, et aeger per intervalla sopore potietur, et

hisce

hisce remediis malum saepe omnino curatur. Si aeger haud valeat ad hauriendum necessariam portionem opii, injiciatur in rectum, aut in superficies corporis tinctura opii fricetur.

Portio opii quae mortem sano inferret, Tetano laboranti levem tantum torporem induceret. Etiamsi aliquid periculi a magna portione opii timeatur, multo gravius imminet periculum ex ipso morbo. Cinchona conjuncta opio potens auxilium cogitata est. Venaesectio est alterum remedium quod saepe laudatum est, et interdum ex ea, bonus manifeste eventu sequitur. in hoc malo; in casibus orientibus ab vulneribus in robustis constitutionibus utilis sit.

Varia stimulantia in curatione Tetani adhibita fuere, ut calor, vinum, alcohol, ammonia, hydrargyrus, epispastica, frictio, aether, electricitas, et galvenismus; et ut nihil debet in hoc malo omitti, quod ullum casum remedii ministret, multa eorum saepe adhibita sunt, ut vinum, hydrargyrus et alcohol, in casibus ubi alia remedia defecerunt.

Cum

Cum Tetanus oritur a frigore, tepidum balneum utile inveniatur ; et cum oritur ex intestinorum irritatione, emollientia et demulcientia utilia invenientur.

Ad constipationem levandam, seu orientem ab malo ipso aut opii administratione, emollientia, enemata, et laxantia medicamenta assumenda sunt, ut necessitas requirat. Et si cibus in esophagum non potest introduci, in intestina injiciatur.

FINIS.